

mes, quanto studio rem literariam promoveas, quam prompto, quam benevolo, quam gratioso in literaturam omnem sis animo, non tam ex verbis Tuis semper humanissimis intellexi, quam potius ex ipsis operibus magna cum animi lætitia deprehendi. Accedit alia ratio, quæ ad me spectat propius, quæve non hos solum libros Spencerianos de Legibus Hebræorum Ritualibus earumque rationibus, sed mea Tibi, *Vir Excellentissime*, mancipat omnia. Ea enim humanitate, ea benevolentia, ea gratia me inde a longo jam tempore complexus es, iis beneficiis me cumulatissime affecisti, quibus rependendis omnis mea ætas par non est, ut ingratus essem hominum, nisi publicum devotissimi mei in Te obsequii ponerem monumentum. Quotiescunque enim Te adeo, quod & ad testandam meam observantiam & propter multiplicia mea negotia facio crebrius, apertissimus mihi ad Te semper patet aditus, humanissime mea excipis desideria, prudentissime consulis, & quæ es autoritate summa, ut votis meis respondeat eventus, efficis atque procuras. Patere igitur, *Vir Illustris atque Excellentissime*, ut cum hoc libro Johannis Spenceri de Legibus Hebræorum ritualibus earumque rationibus ad Te mihi liceat accedere & eum Tibi dare, dedicare, sacrumque esse, jubere. Suscipe non ejus tantum in Te præsidium, sed etiam potissimum mei meorumque. Conserva mihi Tuam gratiam, protege me adversus malevolorum insultus atque Patrocinii Tui radiis nunquam non collustra. Complectere etiam Tua gratia Fratrem meum jam per plures annos iter literarium facientem & nunc Londini commorantem, promove ejus studia, atque ut Gratia SERENISSIMI NOSTRI DUCIS & Domini Clementissimi juxta mecum possit perfrui, effice. Denique me meosque Tibi, *Vir Illustris & Excellentissime*, habe commendatissimos, res Tuas felicissime perage, bonas literas cum immortalis Nominis Tui Gloria semper exorna & ad Nestoris annos usque incolumis permane, ex intimo voto,

V I R
ILLUSTRIS atque EXCELLENTISSIME,
DOMINE GRATIOSE,

Obsequiosissimi Servi TUI

Johannis Georgii Cottæ.